





1. Michaelis / Joh. Georg. / diff. de viro stante inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottl. / diff. de genuina vocum xarakteris et ypostasi notione, Lipsiæ 1738.
3. Morheim / Joh. Laur. / diff. de Jesu Christo vindice dogmatis de mortuorum ad vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern. / diff. de papolatricia, Lipsiæ 1726.
5. Müller / phil. / diff. de jure Dei in Homines, Jenæ 1701.
6. diff. de regno Israelis restaurando, Jenæ 1709.
7. crocodilus lachrimans, Jenæ 1733.
8. diff. de Jesu Christo Deandropo, Jenæ 1704.
9. Dier / Cusp. Gottfr. / diff. de gloria mundi, Jenæ 1661.



m. 7

Q. D. B. V.

CROCODILVS  
LACRYMANS,  
SIVE  
SINCERATOR,  
OCCASIONE IEREM. XLI. COMMAT. VI.

---

Oder:

Von denen Crocodils-Thränen.

---

IN ILLVSTRI SALANA,  
PRAESIDE  
DN. PHILIPPO MÜLLERO,  
ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSORE  
PVBLICO CELEBERRIMO,  
ADVMBRATVS ET PVBLICO EXPOSITVS  
A  
NICOLAO BRAND,  
SVNDERBVRGO - HOLSATO.



---

IENAE, LITTERIS RITTERIANIS, AN. M DCC XXXIII.



7. 10

2. d. a. n.

GRACODIUS  
LACRYMANUS  
SIVE  
SINCERATOR

OCCASIONE HELEM. XII. COMMAT. VI.

Dr:

Dono d'una Crociata di ...

IN ILVSTRI SALANA

PRASIT

DR. PHILIPPO MULLERO

PUBLICAE ET PORSER. PROFESSOR

PUBLICO CEFERRIMO

ADUMBRATVS ET PUBLICO EXPOSITVS

NICOLAUS BRAND

VANDERBERGO - HOIATO



VENAE, LITTERIS RITLIANIS, AN. M DCC LXXII.





CAP. I.

*Titulum explicat.*

§. I.

**L**egenti mihi Jeremiam magnalia Dei animo magno, forti atque obfirmato docentem, Historia Ismaelis filii Nethaniae, Elisamae nepotis, ex Regia stirpe oriundi occurrit; de quo divinus ille vates maxima fide & candida relatione Cap. XLI. 6. memorat, quod, cum urbs Hierosolyma a Rege Nabuchdonosore capta & expugnata esset, ruderibus tantum & plebecula tenui relictis, quibus Gedalia filius Ahikam a Rege praeficiebatur; Ismael ad interficiendum Gedalia a Rege Ammonitarum, cui Baalim nomen erat, Hierosolymam missus fuerit. Quo horrendo jam facinore in Gedalia nihil mali sibi conscio & angvem sub herba latitantem plane non metuente, perpetrato, forte fortuna accidit, ut sequenti die post Gedaliae interfectionem octoginta viri a Sichema, Silunte & Samaria, rasis barbibus, laceratis vestibus, & compuncti urbem Maspam tenderent, ferunt atque thus secum ferentes, ut ea in aedem Jovae inferrent. Hos jam cum videret Ismael Nethaniae filius obviam illis Maspha exiit, flens inter eundem, atque ubi ei occurrit, invitavit, ut ad Gedalia Ahikami filium venirent. Mox in medium oppidum venientes trucidavit Ismael & in fossam projecit. Hanc historiam ad rationem civis vitae revocanti succurrit, quod trito sermone circumfertur, adagium: *Crocodili lacryma*, & quam frequens tam detestabilis sic dicta *Sincerationis* abusus in laetitiae & tristitiae simulacra. Eo vero quan-

A

tus



tus artifex hic Ismaël exstitit, tam in amoris & lætitiæ imitamenti, quam in dolore simulando? Ante enim paulo Gedaliam, gratulatus officium, quibus poterat poppysmis ceperat. Eo per summum scelus inter sacra mensæ & dextras hospitaes occiso, ad aliud flagitium vertitur & tot bonos ac malorum publicorum sensu tactos atrociter perimit.

§. 2. Quam vellemus nunc non plurimos mortalium Crocodili larva indui. Si enim mundus unquam theatrum personatas repræsentans personas habetur, in hoc fictionum genere vel maxime illusorius & e fraudibus confusus est. Ea se nunc ratio sinceratorem adumbrandi non absurda nobis visa est. Et cum lacrymæ Crocodili jam olim hoc monstri genus arguerint, 1. *lacrymas* istas, 11. inde eam, quæ his indicatur, *sincerationem*, quantum quidem tituli intellectus desiderat, hoc capite exprimemus.

§. 3. Lacrymas dicimus guttulas serosas, e cerebro per oculorum carunculas, tum compressione tum dilatatione exstillantes, & ut plurimum indicinam affectuum facientes. *Guttula* sunt, adeo corpora: nec si cum aqua non omnino cædem, eo accidentia. Nisi nominibus ludere iuvat. Ipsa quidem aqua materiæ, ex qua gutta constat, vicem præbet. *Serosa*, nam *τέρον γενέσεως* eundem habent cum sero. Quod *περίτωμα* postquam aliqua (cum alioquin & in urinam ac vapores abeat) sui parte ad cerebrum cum sanguine ascendit, & ab ejus propria nutritione secretum fuit, in ventriculum tertium transit, qui genuinum *δακρυοφιλάκιον* est. E cerebro igitur scaturiunt, ac uti excrementum crassius per palatum nares & aures ejici solitum est, ita lacrymas tanquam *λεπτότερον & ὑδατωρέστερον* defluunt *ad oculum*. Ejus *caruncula* s. *εγκανθίδες* receptacula lacrymarum proxima habentur, unde humor omnis oculo dispensetur. Hoc sane cum sui *compressione* in affectione tristi, ἢ γὰρ λύπη ψύξει καὶ πύκνωσιν ἐργάζεται τῶν πύρων, ait Alexander apud.

apud Rhodiginum L. A. l. 12. c. 4. tum *dilatatione* in sensu ju-  
cundo. Ut enim ibi caloris & spiritus recessione ad loca  
*οικειότερα* cerebrum frigeſcit & humores effrenes ruunt ad mea-  
tus, qui frigore arctati contrahunt oscula, & constringunt carun-  
culas tanquam spongiās, ut stillent: sic vicissim calor ac spiritus  
elati ad cerebrum vias distendunt, humores tenuant & rorem  
illum spargunt. Nil hic impedimento est, quod laterum &  
tristium eundem hic effectum asserimus, *κινώντι χαρᾶ καὶ λύπη*  
*δάκρυά ἐστι*, vere Xenophon l. 7. rer. Græc. Id modo teneatur,  
ut motus isti & *impetu* & *acriter* fiant; prout quidem cor  
ipsum afficitur, cujus consensus cum cerebro talia parat. Hinc  
lacrymas *affectuum indicium* facere cognoscimus, affectuum  
tam tristantis quam delectantis, cum & ad gratiosos animi mo-  
tus eas ruere constet. *Indicium* vero illa præbent anceps, nec  
id, quod Rhetore nostro *τιμῆριον* animi appelles; cum non  
raro absit *μαπλαγχνία*, subſit dolus & seruitium vultus arte vel  
usu promptum, uti mox videbitur. Non tamen nisi *ut pluri-*  
*imum* affectuum nunciæ sunt, verorum an præsumtorum. Invo-  
luntariæ enim multoties defluunt, causis puta vel extrinsecis vel  
ab intrinseco urgentibus, quas alibi enarratas videat, qui amat.

§. 4. Nobis curæ magis est *subjectum*, cui lacrymæ com-  
petant, præsertim *Crocodylus*. Quæ ipsa sollicitudo solvetur  
ejus animalis clariori intuitu. Ac misſo nominis ortu & am-  
biguitate, ab aliis diligenter annorata, Crocodylum dicimus  
amphibium illud & oviparum animal, Nilo Ægyptiaco præci-  
pue domesticum, quod lacertam specie refert, ac in Anima-  
lium historia celebre est, ut habent Gesner H. A. l. 2. de Quadr.  
Ovip. de Crocodyl. Jonstonus H. A. de Quadrup. c. 8. qui duo  
veterum præcipua consignerunt. Mores varii. Porco & Tro-  
chilo amicus, hostis vero ichneumonis, hominis, uti planta-  
rum aliquot. Cæteroquin timidus ferrentibus, ut truculen-  
tus in fugientes. Fallacia in prædam gulæ & rapacitati par,



cui & lacrymæ istæ imputantur. Quas ipsas non perinde accipiunt ii, qui vias affirmant. Comeſto a se homine illacrymari, aliqui: alii, homine procul conspecto, ut devoret. Est, qui devorati animantis caput lacrymis adoleri ab ipſo credit. Est, cui lacrymæ istæ fluunt in ossa animalium, quæ sic macerata frangat medullæ eximendæ. Nec desunt, quibus sic videtur: Crocodilum ad comprehendendos homines aliasque bestias hoc astu uti, ut viam, qua noverit eos ad flumen descendere vel aquatum vel conscensum naves, ore aqua oppleto noctu madefaciat, ac lubrico gressu præcipientes faciliores captu reddat.

§. 5. An nunc omnibus vel aliquo istorum modorum vere dentur lacrymæ istæ, haut immerito dubitatur. Affirmarint sane, quotquot indicatarum modo narrationum fidem æstimant. Qui & brutis lacrymas veras permittunt, nil id repugnare dixerint, qualis & Schottus Curios. Physic. l. 7. Assert. 5. Nobis illa in transcurso tangentibus primum hæc de lacrymis brutorum quæstio probabilius neganda venit. Non unice ob eas quæ vulgo feruntur causas, puta, cum ratione bruta destitui ajant; cum ridendi facultate; quod non defleat brutum quæ in primo flebilium gradu sunt; Quod, si uni competat, omnibus tribui debeat; Quod, si crocodilo vel soli ex brutis competat, homini aut fletus denegandus, aut crocodili natura adscribenda sit, cui enim talia videbuntur Achillea? Sicut vicissim male tuebuntur alteri sese vel proverbio, vel exemplis male compertis, vel jactata paucis brutorum ratione, jucundiori lusu ingenii quam specie sani judicii. Quis vero neget, ea omnia in bruta cadere, quæ de ratione lacrymarum compendio attulimus? Nam ut addatur descriptioni: *voluntatis imperio lacrymas cieri*, nec in homine perpetuum est; dato licet, notabiliores eas in hoc animante & perfectius exigi videri. Est ita comparatum, ut nostro more intelligendi alia rerum genera cenſea-



censeamus. Sicut Xenophanes recte: Bruta si pingere possent, omnes alias res ad sui imaginem expressura, ajebat. Etiam in universum fidem demere exemplis brutorum lacrymantium, aut in iis, ut in Bileami asina, miraculum mox comminisci vix licuerit. Porro lacrymas crocodili ostendi nobis per velim. Nemo qui refert, *αὐτόπτην* sese asserit. Origo tamen verosimilis dieterio substernenda est. Æliani illa relatio de madefacta noctu per crocodilum semita ad lapsus & captum accedentium, quæ effusio *lacrymarum* nomen acceperit, cuiuspiam non nimis displiceat. Nobis non liquet; uti frequentari notissimum est fraudem detestabilem alienam fidem fallendi imitantis tristitiæ & affectuum quorumlibet. Quæ ipsa non immerito imputatur plerisque animos verbis venditantibus & sinceritatem suam ad nauseam pollicitis. Fecerunt illi, ut ipsa sinceritatis & sincerationis appellatio in suspicionem, odium, infamiam abierit, ac velut *in nomine Domini* (ea verba Bullis papalibus præfigi solita) *incipere omne malum*, jam olim creditum fuit: Sic præferentem candoris & amoris titulos sapius decepti merito exhorruerunt.

§. 6. Male vero illis (ut de cinædis unguentorum odium abusu inducentibus Aristippus dicebat) qui rem tam bonam invisam reddiderunt. Agite dum enim, quod in lacrymis hisce, idem in nomine *Sincerationis*, quid ipsum velit, exponamus. *Sincerator* denominatur a *Sinceratione*, hic a *Sincero* dicitur. *Sinceri* vox originem Donato a *cera* traxisse videtur, quasi sine fuce, ut mel sine cera. Verum Laurent. Valla l. 6. c. 37. Donati sententiam reprehendens, negat præpositionem *sine* ingredi compositionem, & potius a *σύν* & *κηρός* derivandum esse autumat, ut proprie *syncerum* per *y* notatum sit ipsi quasi *cum cera* mel, quod integrum est & solidum & nulla sui parte fraudatum, ut si dividere fructum communium alveariorum cum socio velim, partemque mellis assignem, nimirum

A 3

non

non ago sincere, quod sine cera mel dedi, ut verba ipsius habent. Ascensius sincerum legendum putat quasi *sine carie*. Verum, quod Valla dicit, *sine* nunquam admittere compositionem, illum J. C. Scaliger *Exercit. 81. f. 1.* inepte reclamare ait atque imponere Latinitatis candidatis, nec tunc meminisse vocis hujus simplex quod ex *sine* & *plico* conflatum. Cui Vossius suppar *Etymol. b. v.* alias compositas cum *sine* addit; Nec per *y* scribendum esse *Sincerum* probat ex Orthographia Aldi, edit. Carrión. p. m. 194. quæ in lib. vet. ac Virgilio Carpeni per *i* exaratum reperiri testatur. Quod demum ajat sincerum esse proprie *mel* cum *cera*, id naturæ vocis ac usui bonorum omnium scriptorum plane repugnare dicit. Ascensium ne dignum quidem existimat, cujus ratio hic habeatur.

§. 7. Cœterum nec *Sinceratio* nec inde coalitum *Sincerator* Romanæ Latinitatis voces sunt, sed recentiori usu invaluerunt. Quod si etiam consuetudo legis vim obtinet & diuturni mores, ut ajunt J. Cui, consensu utentium comprobati, legem imitantur, nemo vitio nobis vertet, si & hanc vocem usu sequiorum temporum receptam nostram hic facimus.

§. 8. Vtriusque porro *vis* an primitivi usum servet, videntum est. Est *sincerum* idem quod *purum*: veluti *sine cera mel*. *Purum* autem est, esse cuique rei modo hoc, quo debet esse quod est in sua unitate. Quare insinceritas ei accider, sicut aquæ turbiditas, non autem puritas. Ac ea, quæ arte composita, non sunt sincera natura; sunt arte sincera, si nihil præter artem admixtum est. Verba ejusd. Scalig. sunt *c. l.* Eo nunc sensu *sincerum*, *impermixtum*, *purum*, *putum* pro eodem accipientur. Sicut puritas metallorum propria, quæ igne excoquuntur, uti *putare πένθεον* est aurum explorare, vide Taubman. *ad Asinar. Act. 4. Sc. 1.* Et latius: *putare* veteres dixerunt, vacantia ex quaque re, ac non necessaria, aut etiam obstantia & aliena auferre & excidere &, quod esse utile ac sine vitio videretur,

retur, relinquere. Sic namque arbores & vites & sic etiam rationes putare, ut Græcis ἐκαθάρα λογισμὸν, est Plutarch. *l. de dist. adulat. ab amico*, ut Demosthenes: λογίζεσθαι καὶ καθάρα ὡς αἱ ψῆφοι, καὶ μηδὲν περιῆ συγχωρεῖται. Jos. Scalig. *conject. ad Varron. de LL. p. m. 91.* Sic *Dea pura* est arborum, cum impedimentis rescissis remanent puræ, ap. *Arnob. l. 4. Putamina* vero & arborum & aliarum rerum purgamenta sive projecta tanquam inutilia. Nonius *vasa pura*, quæ nondum in alio usu, sed & non cœlata, ut apud Juvenal: *Sat. 10. v. 10. hasta pura*, sine ferro; *locus purus*, area; *Solum purum*, inherbidum, subactum; *Luna pura*, purgata vid. *Turneb. l. 19. c. 1. Vestis pura* in sacris, non funesta nec maculata ex mortuo. Festus. & Taubm. ad *Amph. Plaut. act. 2. sc. 2. v. 65.* Pari sensu Agrippinenses dicuntur Tenchterorum legato *sincerus populus & integer.* Tacit. *Histor. l. 4. c. 64.* quod idem de Germanis locutus bene explicat: *Germaniæ populus nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam & sinceram & tantum sui similem gentem, c. 4. 12. uti c. 2. minime aliarum gentium adventibus & hospitibus mixtos.*

§. 9. Quemadmodum vero *Putandi* verbum cum ad animum transfertur, ut declarandæ sententiæ nostræ causa, denotat nos id agere in re dubia obscuraque, ut decisus amputatisque falsis opinionibus, quod videtur esse verum, integrum & incorruptum retineamus, *Gell. l. 6. c. 5.* perinde *Sinceritas*: cuius ratio patet e similitudine corporalium, quæ hoc nomine veniunt & ante indigitata sunt. Vnde nec nobis facile vitio vertetur, si a rebus corporalibus sensuque vulgari notis depromptam hanc loquendi rationem transfulerimus ad animi sententiam evidentius cognoscendam. Cum enim in animi tam intellectiva quam appetitiva parte sint potentiæ, habitus & actus, de singulis *Sinceri* prædicatum certa ratione efferrî potest, partim tanquam de *principiis* eorum, quæ sincera dicuntur;

tur; partim *in se* & sua natura. Ita intellectus dicitur *sincerus* modo ob *vim suam* recte, dilucide & ordinate aliquid cognoscendi & dijudicandi, ut obscuritas, confusio & erroris mixtura absit; modo propter ipsum *exercitium sui*, quo species imprefsa objectis suis exactius conveniunt. Nec de simplici solum notitia ita obtinet. Notabilior imo est hæc attributio in compositione ac divisione, quæ cum vera est & tenore velut uno profluens, *sincera* bene dicitur. Voluntati quoque tam ut *natura*, quam ut *libera* est, hoc nomen competit. Nam & inclinationes, si vere & simpliciter ferantur in objecta amabilia vel odiosa, *sincera* vocabuntur, & indifferentia hujus naturæ, cum in actu primo ac secundo contraria necessitate non intercipitur aut minuitur, *sincera*, integra, perfecta habenda est. Eapse voluntas, si ex more, quem ratio recta dirigit, ad sui manifestationem qualemcunque proclivis est, sinceritatis elogium suscipit. Quæ alioquin & *candor*, *ingenuitas*, *simplicitas*, *integritas* salutatur. Isque nunc sensus præcipue militat, cum attingimus *Sincerationem*, quæ super *sinceritatem* cadit tanquam actus super objectum, quod præfert ac talis virtutis usum pollicetur Sincerator. Et quamvis Sinceratio ad lacrymas Crocodilinas collata peculiaris solum affectus, ut commiserationis, index videri possit, nos tamen ea in sua latitudine nunc usuri sumus.

§. 10. Quemadmodum vero *Sincerator*, quem Sinceratio tanquam autorem sui denominat, eandem qualitatem animi specietenus præfert ac venditat, ita loquendi usu defleat in alterum extremum, quod vitio ducitur. Cui tum consentanea sunt nomina Ebræa, quibus talis sumi venditor *כלב וכלב* *cum corde & corde*, sive bicor, deceptor, item *כלב חנה* *profanus corde* appellatur. Illa enim duplicitas cordis sinceritatem, quam vocavimus, formaliter excludit; quam apte *כלב חנה* explicat impuritatem contrariam. Vid. Buxtorf. *in Concord.* Ita Græcorum *εἰρωνία* & *ἑωόνεισις* vulgo comparatæ videntur.

tur. Id vero per omnia neutiquam procedit, cum æque promiscua vocum illarum in partem gratam usurpatio sit; non secus ac Sincerationis ipsius, quantumvis & illa & hæc pessime alicubi audiant, id quod proxime declarabimus.

CAP. II.

*Definitionem proponit.*

§. 1.

**S**inceratio est intelligentis de Sinceritate sua aut aliena, in re proposita contestatio, signo aliquo expressa, ut alteri fides fiat.

§. 2. Dicitur *contestatio* sive assertio studiosa & enixæ voluntatis, plane ad imitationem ejus contestationis, quæ in foro obtinet. Nam & litigantium, si mutuo accipiunt iudicium & confcios, ut ejus suæ voluntatis sint testes, palam invocant, Brisson. *Form. l. 5. p. m. 421.* ea appellatio est; & in testamentis scriptis intelligitur, cum testator suam intentionem scripto, quod præsentibus & in id arcessitis exhibet, contineri affirmat; illi vicissim manu signoque apposito fatentur sibi de hac testatione plenissime constare. Donell. *l. 6. c. 10.* Perinde Sincerator operosa illa affirmatione agit; sane cum & testes ut plurimum cieat, Deum, conscientiam, rem, eventus &c. Talem Ismaelem, cujus supra mentionem fecimus, fuisse, clare ex eo dispalescit, quod, ac si de magna illa calamitatum publicarum insiictione doleret & de summa illa Gedaliz dignitate gaudio quasi exultaret, nimium quantum præ se ferret. Ut jam nihil dicamus de facto illo paulo post perpetrato, vbi quasi Deum & conscientiam suam testatus, viros holocausta ad sacrificandum Deo secum ex aliis locis adferentes, lacrymarum suarum effusione eo adegit, ut se, quos reti suo destinasset, sequerentur.

§. 3. *Autor* ergo Sincerationis est *Intelligens* cum facultate, tum actu eo, quo & quatenus hoc negotii genus peragit. Neutrum probatione eget. Ergo *Brutorum* nullæ hic partes,

B

acsi

acti vel invicem, vel ad intelligentia animum, quo carent, profiteantur. Sinceritas etiam, ut qualitas rationalium subjectorum, ab istis penitus exulat. Nec vero in rem sit blandiendi invicem ac subveniendi species, qualis est canum, simiarum, psittacorum &c. aut astutia animantium quorundam, quæ in perniciem alia pellicunt, uti hyænæ solitum, & Crocodilo non inusitatum, cujus supra mentio facta. *Plantis* ut obscurior appetitus, ita hujus operationis nulla communitio est. *Ex intelligentibus* primatum tenet *Numen Jehova* gloriosum. Nam Sinceratio & perfectio est sine imperfectione; unde formaliter ipsi competit, & multoties in sacris Scripturis adhibita, præcipue ad hominem, cujus creatio, creati amor curaque sospitandi ac regendi ad ipsius felicitatem mirifica exprimitur. Nec de *creatis spiritibus* ambigimus. *Æquant* omnino hominem isto bonitatis genere, uti in omni rationis actu antecellunt, & agendi talia modo, quem totuplicem tamve nativum & efficacem homo non præstat. Si exempla quarimus, & sacra historia & humanarum curarum memorabilia largiter præbebunt, sive malos sive bonos dæmones excutias. Et quæso expendat quis primævam historiam, ubi sane occurrit blanda illa dæmonis astutia, qua serpentem, bestiolum tunc pulcherrimam, occupans protoplastos persuasione fucata ac seductrice eloquentia captum ac seductum ivit. Neque etiam *Angelis bonis* denegatur illa Sinceritas, cum ea in sacris pandectis ut plurimum erga consternatos & conterritos usi fuerint, ut ex suavi illo alloquio Angeli erga Hagarem Gen. 16. Gideonem Jud. 6. Josuam Jos. 5. Daniele Dan. c. 8. c. 9. c. 10. v. 19. constat. De *homine* nec dubium restat & nostra meditatio præcipue jam agit.

§. 4. *Objectum* idque *materiale* est *res*, quacunque proponitur & agitur inter aliquos. Nam & in sacris vitæ humanæ actibus frequens occurrit, & in profanis tam publicis, quam  
 priva-

privatorum. In nostris & alienis, sive ludicra sint, sive seria sint, venit usu. Non diffiteor latius patere, de quibus cogitur, quam illa, quorum *νηαξις* vitam nostram exercet, eoque voluntatis professionem non perinde extendi. Sed nec affectio nostra exprimitur de rebus solum, uti per se comparatae sunt, verum & praecipue, prout exercentur & aliquem ad actus intelligentium ordinem important. Quomodo vix aliquid excipere licet, cujus in praesenti usus non detur.

§. 5. *Formale* objectum est *sinceritas propria, aut alterius*. Ista est, uti diximus, virtus moralis, malae fraudis adversus alterum inimica & in omni sententia ac studiis prudenter aperiendis, & his quavis re idonea ad nostri declarationem, occupata. Vnde *veritas* & objecto & medio se explicandi angustior est, & istam tota sui natura, licet non totam, instruit. Cui alia succedunt munia sinceri contra vulgo explosam, nec multoties injuria, simulationem ac dissimulationem. Puta, si quis fingit ac praefert esse quod non est sive quod animo non cogitat; aut fingit non esse, quod est, seu specie externa conatur aliis persuadere, id se nescire aut agere, quod scit, cogitat aut agit. Quae utraque perperam usurpata & dolo malo animi sociata *insinceritatis* vitium absolvunt; tam hoc detestabile, quam nimia simplicitas improvidi nempe studii & suorum sensuum temere nudandorum improbabilis est. Sinceritas illa vel *ipsius contestantis* est, vel *tertii*. Hujus saepenumero, quem idoneis indicis perspexisse videmur, cum in genere de candore ejus persuasi, tum peculiariter in eo negotio quod sub incude Sincerantis est. Quamvis nemo norit, quid sit in homine, nisi spiritus ejusdem, *1. Cor. 2, 11.* tantoque magis anceps de alieno judicio judicium ac fides interponatur, quo fidelius de nobis ipsis licet polliceri.

§. 6. Signa, quibus contestatio peragitur sunt omnes motus, quibus alioquin homo homini quicquam sui communica-



tum vult. Inter quæ agmen ducit *Sermo*, voce ad præsentem, scripto absenti redditus. Conf. *περ. ἐγμνν. f. 1. c. 1. ib. interpp.* Hic vero & ex persona proferentis, & e præsentem rerum conditione, & ex modo proferendi distinguendus est. Eam, ut probetur bonis, moderatur ista, quam citavimus veritas. Altera classis *gestibus* continetur, partim quos ordinarius portitor animi oculus exercet, de quo Cic. *l. 3. de orat. Oculos*, inquit, *natura nobis, ut equo & leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit*; partim alia corporis membra, quorum alicujusmodi agitatio ex more hominum vel omnium vel certorum de animo testari solet. Vbi cauto opus, ne sollennis histrionia stolidis nos persuasionibus occupet. Quot enim præficas imitantur hodiernum? qui

*ut starent, oculos erudiere suos.*

Tertia series est *operum*. Illa sane tutissimæ fiducia pararia, & quæ verborum typhos ac palpam gestuumque servitia prudentibus clarissime detegit. *Prudentibus* dico; cum non sit τῆ τυχόντος, opera ipsa vel protinus dignoscere vel ad tribunal Sinceritatis arguere. Quem fugere possunt multo maxima & bonorum facta, quæ male inspecta pejus æstimata sunt, & fœdorum deceptorum speciosa ludibria? Claram iterum hujus rei imaginem nobis exhibet Ismael. Nonne enim is viris Mitzpam venientibus sat speciosis verbis imposuit, cum eos suo verborum lenocinio, acsi ad Gedalam vocarentur, pessime perditos iverit? nonne etiam mirifice gestibus uti novit, eos oculis præsertim, quos lacrymis opplevit, satis superque declarando, reliquis etiam membris tali fungentibus officio?

§. 7. Finis Sincerantis *proximus* est alterius fides, quam dicimus firmum assensum sive approbationem eorum quorum sententia & studio prior se teneri professus est. Dico *assensum*. Nec enim solius notitiæ (prærequisitæ sane ad institutum, licet aliqui id non perpetuum esse nugentur, ut in fide Theologica)

ergo



ergo talia agitari videntur; esto aliquos id spectare, ut de suo animo aliis in tantum constet. Præcipua utique cura heic ad praxin est. Idem assensus per se est *approbativus*, ut sc. extrema asserti, *de Sinceritate alterius*, eadem esse statuatur, & consequenter diversa, sive falsum esse, quod *de ejus insinceritate* observabatur. Præsertim si id sincerans agit, ut sinistram de sese opinionem alteri demat. *Firmum* eundem voco. Non enim suspicari opinarique sufficit; sed adhærendum est objecto seu ei quod Sinceratio profert; alias sine nostro excidemus.

§. 8. Fit vero, ut modo *simpliciter* insistatur dictis talibus, disparente licet l. non requisita assentiendi ratione: modo *ob rationem præhabitam*. Illud fit aut *vi elevationis*, qualis esse potest in Sinceratione Divina, cui accedimus intellectu per Spir. S. inclinato, sive motivo alio; aut *naturaliter*, cum res vel ex terminis claret, vel ex sensuum testimonio. *Alterum* venit usu, si, aliquo prævio ratiocinio, dictis annuitur. In qua *medium* eminet, quod vel necessario, pro dignoscenda identitate extremorum, vel ad lubitum assumimus. In quo sane non perpetuum est, ut medium cum extremis *reapse* cohæreat. Certe cum de Titii sinceritate testatur Cajus, Caji contestatio saltem extrinsece denominat Titium tanquam notum sub tatione *sinceri*, & ut *talem* alienæ, sc. Sempronii, cognitioni sistit. Assensum vero (qui, ut autoritati innixus peculiariter *fides* audit) eatenus elicit, quatenus de veritate attestantis præsumitur. Præsumtio ipsa, prout testis autoritas habet sese, penitior & constantior, eo ad intellectum determinandum potentior est. Ita Deo de creaturarum intelligentium mutuis studiis diserte testato acceditur & cito & sine formidine falsi, cum & scientissimus sit & fallere nescius. Sic oculatam fidem auritæ præponimus. Et quamprimum ratio assentiendi talis in sinceratione apparet, sequitur desiderata fides, adeo, ut nec in exercitio fidendi suspensa manere, nec actum  
inten-

intento contrarium edere possit. Licet vero alioquin ad assensum, ut recte fiat, opus sit & *sensuum usus* præsens ac integer & *immunitas ab affectibus*, in fide tamen sincerationi tribuenda neutrum simpliciter requiritur.

§. 9. Id non raro diribitu arduum habetur, sicubi alio Sincerantis autoritas, alio rerum ipsarum obtutus trahit, utri fides habenda sit? Hoc in multis mysteriorum Divinorum exemplis elucet, cum hominum iudicium hinc suis principiis, inde majestate Dei revelantis distenditur. Opponi enim tum motiva videntur, & sicut certitudo *evidentiæ* probabilior & tutior videtur *adhesiva*, ita magis rerum indoli, quam contestationi vel gravissimæ acquiescendum dixeris. Id tamen contra habet sese. Nam certis de *actu* Divinæ Sincerationis nunquam integrum esse possit inferioris potentia, qualis creatus intellectus est, iudicium præponere Divinæ Sapientia; nec, si pugna intercedere visa sit, alii quam nostræ cognoscendi infirmitati causa imputabitur. Sic *Abramam* Paulus *Rom. 4.* huius optionis causa mirifice laudat. Contestatio Divina erat de semine ejus infinities multiplicando, *Gen. 15.* At motivum assensus contrarii præsens, corpora jam effœta conjugum, adeo ut Saræ talia promissa risum elicerent *Gen. c. 18, 10.* Patriarcha tamen *contra spem in spem credebat v. 18. nec infirmabatur fide, sed promissioni Divinæ innixus, gloriam dabat Deo, plenissime sciens, quod, quæcunque promissit Deus, potens sit & facere.* Si ergo contestatione illa eatenus perspecta, quantum ejus ad assensum præbendum satis est, dantur manus & fides habetur, effectum datum est, quod intendebatur principio. In Humanæ autoritatis obtentu minor plane ad fidem necessitas subest, si maxime rerum præsentium statum, documenta moris pristini & securæ malignitatis ea indicia occurrunt, quæ prudentium in talib. iudicio non possint non potiora videri quantavis integritatis studii que enixi professione. Id quod unus omnium  
inter

inter Gallia Protestantes optime perspexit Jo. Ferrerius Carnutum Vicedominus, qui pensitatis, quæ diximus, ad Colinum & Condæum graviter contestabatur, ut sibi maturo discessu confulerent. Sed Telinio reclamante & sibi abunde de sincera regis voluntate constare dicente, minime auditus se interim sospitandi rationum oblitus non est, dum paulo post infanda illa Laniena Parisiis crudescit. Vid. *Thuan. ad ann. 1572. lib. 52.*

§. 10. Sincerationis *Effectus remotus* est nova voluntatis affectio eam mentem sequi solita, quæ totiplex est, quotuplex desideriorum humanorum argumentum, quod & eapropter tanquam infinitum scientibus omittitur.

CAP. III.

*Divisionem ostendit.*

§. 1.

UNA lucis eaque prima perfectio Candor, animi idem, diversa tamen est ipsum contestandi ratio. Placet ad priora c. 2. discernere. Primum ab *Autore*, ut *publica* sit, aut *privata*. Nominis acceptio (quam multifidam Rebuff. ad l. 17. de V. S. Cardinal. Tusch. lit. P. concl. 959. seqq. Bertach. Repertor. H. V. Grot. J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 5. l. 2. §. 12. alique suggerent) ne turbet, publica sit, quæ nomine totius societatis fit. *Societas* ea, quorumvis adunatorum ad aliquid perficiendum, ut ex Thom. *opusc. centr. relig. impugn. c. 5.* Bertachin. non licita solum aut civilis, eaque majestate pollens. Latius ac eo spargitur hæc res, quousque animus ac voluntas agentium cum ratione. Ac falli dixerim hos, qui communia cunctis hominum consortiis, sæpe & singulis sic computant, ac si ea eximia essent artes ac rationes rerum publicarum ac imperantium. Res docet, ac alibi dicetur forte, majus minusve in humanis negotiis omnibus speciem non variare, uti nec in naturalibus ullis; Vnde plurima Arcanistarum & Observantium politicorum turba ruat.

§. 2. Nunc,



§. 2. Nunc, an aliqua Sinceratio *nomine Societatis* facta videri debeat, paulo obscurius est. Nam & ipsa Societas in statu suo vel primo vel variato sese offert, & publicæ hujus voluntatis certitudo sæpe ambigua fit. Disceptatum in simili argumento pridem fuit, ad motam a Philosopho 3. *Pol. 2.* quæstionem: *quid civitas egerit?* Unde multa oritur quæstio de datæ publicæ fidei observantia, notis hodiernum exemplis negantium se voluisse, quæ tamen & palam & solenniter facta, & rejicientium in unas contrahentium immediatorum personas. Opinor, cum Cl. Bœclero *diff. 1. ad Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 9.* id videri quamque societatem contestatam esse, quod ab ejus statu semel constituto, tanquam a causa, provenit. Provenire autem ab eadem intelligitur, sive per seipsos singuli, quorum interest, una quasi voce ac *χεροτομία* fidem dent, aut totius Societatis capita tanto jure instructa; sive per internuncios, qui suæ commissionis solita in talibus documenta præbent. Si vero mutatio interim provenit, advertendum est, quæ illa ipsa sit, an Societati, ut Societas est, pestilens, an speciem, an formam solum accidentariam e. g. modum regiminis, subsidiorum, quibus nititur, virtutem &c. concernat. Tum enim distincte eos, qui studia sua alteri polliciti sint deprehendi & constitui verum est. Properantibus non licet necessariam rem digne prosequi.

§. 3. Exemplorum plurimum & alia ætas & nostra tempora ostendunt, e quibus notabiliora sunt, cum ob mutatos dominos rerum, fœderum paulo ante factorum religio pessum it. De qualium moralitate alias.

§. 4. Modus publicæ Sincerationis ea (1) communia habet cum alia quavis, ut vel nude vel addito majori fidei vel indicio, vel vinculo proveniat. *Indicia* sunt e. g. donaria, auxilia, affinitates &c. *Vinculorum internum* aliud idque arctissimum est jusjurandum, cui cognata testium invocatio, honoris nominisque boni pignora; exemplo Imper. Caroli V. fide viri nobilis

nobilis animi sui sententiam testatam facere soliti; *exterius* obsidum, arcium, ditionum & aliarum id genus rerum corporalium, uti incorporalium, permissio. Talia summatim voco *communia* cuicunque Sincerationi, quod tale quid ubivis pro animo & viribus contestantis etiam privati possit accidere. (2) *Singularia* sunt, quibus quævis Societas separatim utitur, si quando seriam animi sententiam alteri declaratam cupit. Uti Rerumpublicarum aliis alia solennia servantur, olim Romanis, Græcis, Barbaris; postea Christianis, Turcis, Gentilibus. Qui singuli uti sua ista contestatione, licet falso numinis errore tum ducti appareant, ex jure naturali ac gentium perurgentur, sic adversa morum via publicam notam non effugiunt.

§. 5. *Privata* contestatio refertur ad singulos procul potestate & jure, quod aliis, aliive ipsis debent. Sic Titius humanitatis lege, non tanquam civis, Magistratus, princeps, animum spondet. Ea militiæ temporibus cum primis dilucent. Duces armorum utrinque hostilium inter medios furores belli scripto ac ore officia sua invicem deferunt, forte & serii dictorum; sed salvis causæ, quam quisque defendit, publicæ rationibus. Adeo recepta contestanti salutaris clausula inauditur: **Plusser Herren Dienst.** Periculosa alioqui officiositate, cujus intestina Galliæ bella specimen non unum dedere, interceptis & in pessimam partem detortis literis, quæ tamen nil præter solita honoris verba præ se ferebant. Vid. *Tbuan.*

§. 6. *Alterum* discrimen ab *objectis* sincerantium licet petere. Ea in tot vitæ negotiis & apparatu, distinctione, ut non generali, tamen civili societati apta, *sacra* esse vel *civilia* existimo. Sacrorum contestatio sinceritatis sententiam ac studium circa Religionem continet. Quæ ipsa modo sponte fit, uti olim in martyriis Christianorum, modo ex monito rogatuque vel superioris vel alius cujuslibet. Anterior ratio patuit olim in Conciliis, cum antistites sa-



crorum fidei suæ elogia perhiberent, ut in Carthaginiensi Cypriani; & formulas confessionum subscriptione sua publice approbarent, quod in plerisque aliis notorium est, vid. in *Hist. Eccles. & Tomis Concilior.* Cui suppar est observatio sequiorum temporum, ut præfecti religionibus eam subscriptionem præstent, quale exemplum Evangelici in Formula Concordiæ tenuerunt; quorum institutum ab Neostadiensibus Admonitoribus & cumprimis Hospiniani cavillis in *discordie*, quam commentus est, *Concordia* prolixè nec infeliciter asserit Hutterus in *Concorde concordia* passim. Ubi idem c. 43. morem Symbolum Ecclesiasticum approbandi talem & Doctorem veterum & ipsorum Reformatorem complurium exemplis tuetur. Eaque res hodie quam acriter exigatur per eandem, adeo notum est, ut de tali instituto vix litem aliis deinceps movere audent. Remonstrantes quidem, quam ipsa symbola oderunt, tam infensi sunt disertæ talium approbationi, uti *præf. & Exam. Cens. Theol. Leydens.* fuse tradunt. Conf. B. Johan. Tob. Major. *Diss. de symbolis*, qui §. 12. rectissime: *Symbola si non ad esse simpliciter, certe ad bene esse Ecclesiæ Christianæ conducere; & si non præcise & absolute, saltem ex suppositione finis, extrinsece necessaria esse, sicubi crassi & fœdi errores Religionis orthodoxæ ac pietati noxii, seculum nostrum occupent ac infestent; esse utilia atque licita, ad sopiendas controversias de fide in Ecclesiâ exortas, ad extirpandas hereses gliscentes ac inberba suffocandas, ad testandam òυόνομα Ecclesiarum & Professionem ejusdem fidei, etiam quoad phrasès & modum loquendi, item ad mutuam & fraternam unionem cum orthodoxis, separationem vero ab heterodoxis toti orbi apricandam.* Idque *Formatis* primitivæ Ecclesiæ literis §. 13. confirmat. Quare nec sincerationis istius modo quisquam temere adversabitur. Uti enim in civili administratione cives alii præsertim officiales jurata fide suam erga imperantes animam profitentur, perinde consentaneum est tali subscriptione explorari adstringique sa-  
cra

cra curaturos. Nota plane ejus rei utilitas ex superioris seculi memoria, cum tot tantique sinceritatis suæ Evangelicæ testem subscriptionem præstare jussi hæsitarent, sui que pectoris occultos diu sensus ἐνόητες ἀνοητίως θυμῷ prodiderunt. Sicut Arius ille cum sectariis, quorum fraudes Socrates l. 1. hac ope prostituta fuisse docet.

§. 7. *Civilis* Sinceratio dicitur, quæ ad res humanis usibus & arbitriis subjectas & actus politicos spectat. Utraque classis licet specie & numero, ad nostram cognitionem, infinita sit, ob ingeniorum, loci, temporis & casuum miram novitatem, potiora tamen aut certe notiora carent dubio. Sic potestati politicæ diversas res actusque tribui liquet, & Xenophon *Memo- rab. l. 2.* eoque plenius Aristoteles *Rhetor. l. 1. c. 4.* illustratus Cl. Conring. hac parte, *Prudent. Civil. c. 7. & 12.* rerum id genus copiam aliquantam ordine induxit Actus humanos omnes operose H. Grotius *de J. B. & P. l. 2. c. 12.* distingvit (1.) in simplices, qui aut *Beneficii*, partim *mere tales*, terminati vel *ad præsens*, ut donatio domini, vel *ad futurum*, ut promissiones; partim *cum obligatione mutua*, circa rem, ut commodatio, aut *factum*, effectum aliquem intendente, ut mandatum. Aut (2.) *permutatorii*. Hi vero vel *diremtorii*. Do ut des, Facio ut facias, Facio ut des, & hidem singuli novas species complexi. Vel *communicatorii* factorum aut rerum, ut societas. Simplicibus istis opponit *compositos*, tales vel *principaliter*, ut nauticum foenus, vel *accessu ad actum alium*, ut fidejussio. Si tamen cuiquam ista cura displicet, uti sane aliquibus, more Boccaliniani illius Censoris vitia magnorum scriptorum non decora corradentis Cent. Relat. licebit, post Beneficos, actus utiles reliquos sub contractuum titulo sic partiri, *e. w. de reb. credit.* ut sint 1. proprii vel improprii & illi (1.) *Nominati*, tum *Reales*, Mutuum commodatum, pignus, Depositum, tum *Consensuales*, Mandatum, pro socio, Empti venditi, Locati conducti (2.) *Innominati* ob ignorantiam sive contractus, *e. gr. æ-*



stimulatorius, sive nominis conventionis, ut permutatio, præscriptis verbis, Do ut facias, Facio ut des, Facio ut facias, suffragium, Cambium, Assuratio. Quorum compendiosam tractationem Nobiliss. Dn. Struve *Syntagm. J. C. Exercit. 16. ad 44.* subministrat. Quæ ipsa an subtiliter potius, quam utiliter ab ethnicis hominibus inventa & abolenda hodie sit, uti Molina de *J. & J. tr. d. 258. n. 9.* contendit, exceptus idem a *cit. autore Exercit. 6. n. 32.* jam non nostrum negotium est. Qualis enim cunque sit vel hæc vel Grotiana specificatio, de ipsis actibus 1. Beneficis statuendum est, ut *sinceri sint.* Eam sinceritatem Seneca de *Benef. l. 2. c. 1. & seqq.* definit ex parte dantis: *sic demus quomodo vellemus accipere. Ante omnia libenter, cito, sine dubitatione.* Cum enim *l. 1. c. 5.* beneficium rationem in ipsa tribuentis voluntate constituat, ut sit *benevola actio tribuens gaudium cupiensque tribuendo in id quod facit, prona & sponte sua parata,* ut *c. 6.* loquitur & sequentibus probat speciosissime; *lapidosus* is panis dici debet cum Fabio Verucoso, si Gratiarum, quas eleganter ex fictionis velo educit, *l. 1. c. 3.* risus, virginitas & pellucida candidæ species actum ejusmodi destituerit. Perinde Aristoteles *Etb. 4. c. 2.* ad liberalitatis *μεσότητα* requirit *ἴνα ταῦτα ἢ δέως ἢ ἀλύτως ἢ κίσα καὶ λυπηρόν.* Ad quæ verba Eustratii paraphrasin conferre joverit. Certe cum omne beneficium actus benevolentiae, quæ voluntatis alteri bonum volentis est, *Thom. 22. q. 80. ad. 4.* habeatur, ne assequi licet cogitando, beneficium sine bono affectu facientis. Eaque idonee contestata innotescit. Quod 2. contractus attinet proprie tales, vel quasi, in iis singulis ut bona fides præstari debet, ita communiter præferri solet. Ea vero uti suos limites accipit a natura negotii, in qua versamur, h. l. pertractari neutiquam potest. Actalis conventio sive publica sit sive privata, eas leges subit & caractere civilis sincerationis insignitur.

§. 8. Si *modus* quæritur, unde eadem omnia inter se aliquantum differunt, is vero infinitus videbitur. Portitores sane  
animi



animi vox & Gestus, quibus utrisque & Ismael ille non tantum Gedaliam tutæ fidei hominem, qui honesta omnia ab honestis gestibus ominabatur, dementavit, sed & infelici simulatione & oculis ad flendum edoctis & manibus ægritudinem nescio quam non præ se ferentibus egregiam hominum societatem prostravit, & in præsentissimum detrusit exitium. Voce utebatur ad consolationem, quæ fatalem indicabat perniciem, lacrymas adhibebat erudite compositas, quibus instanti ipsarum morti nequissime parentabat. Oris autem aut simplex aut adjurata de corde professio est. Accedat vero oportet ad simplicem gestum ea compositio, ne quis joculari dici possit. Ea quidem personarum est differitas, ut nonnullis verbo pollicitis merito accedas, uti Xenocrati sinceritas vitæ fidei injuratæ auctoritatem publice peperit. Diogen. Laërt. *in vit. ejus init.* Ex egregio Scytharum apud Curtium *l. 7. c. 8. 9.* exemplo, *colendo fidem jurantium.* Confer pluscula a Grotio *l. 2. c. 13. n. 21.* congeſta. E gestu dextræ porrectio egregiis Germanis symbolum animi, paribus ad Persas veteres moribus apud quos ea *πίσις βεβαιότητα.* Et principum ea integritas esto, unde

- - - - - *reverentia verbo*

*Regis inesse solet quovis juramine major.*

Günther. *in Ligur.* Eoque principalia verba Publicistæ nostræ juratis assertionibus æquiparant. Conf. Mylerum de adjuratione, ut aliter res habet, cum usitatis in asseveratione graviore formulis utimur, quam ubi solenni juramento animum obstringimus, ita huic nulla gestuum lascivia aut vanitas subvenit, ne illa sinceratio vere jurata videatur. Jocorum enim prætextu cavendum, ne dolus quivis malus integatur, uti Carolus ille IX. ad omnem memoriam famosus in Gallia Rex ante hos centum annos per vulnera Dei sæde dejerare solitus, maxime tunc ubi Colignii Ammiralii a sicario factam percussione[m] lubens exaudisset, vindictam crepabat, quæ in perfidiosam afflicti ac decepti viri laniam erupit. Quod flagitii genus & quid in



universum de sinceratione statuendum sit, *cap. proximo* attingemus.

## CAP. IV.

*Sincerationis usum defendit.*

## §. 1.

**S**itantum abusibus sincerantium & ortis inde circumventorum querelis attendatur, vix quicquam sinceratione detestabilius habebitur. Salva tamen res est. Dicemus (1.) *Nomen ipsum sincerationis, εκ τῶν μέσων*; at minime *συνειλημμένον μετα τῆς Φαυλότητος*. *Posterius, scilicet non preferri ipso hoc nomine pravitatem*, liquet ex ratione *μεσότητος*, quæ ibi admitti potest. Sed alii cum affectus, ut avaritia, invidia crudelitas &c. tum actiones multæ e. g. furari, scortari, tale quid non ferunt, uti 3. *Eth. c. 6.* recensentur. Quæ licet intendi remittique soleant, ea moderatio ut bene Eustratius in *c. 1.* non est in ordine ad virtutem, sed in ipso vitioso affectu actuque. Conf. Magir. *comm. b. 1.* Prius ut constet, nota, quod *μεσότης* ista non sit ἢ *πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένη λόγῳ*, ut *init. cit. cap.* loquitur, sed *ἀδιαφορία*, unde aliqua sua vi ac natura nec turpia nec honesta sunt, sed perinde, ut a nobis aguntur, ita ipsis actionibus aut probanda sunt, aut reprehendenda, quæ verba sunt Gellii *N. A. l. 2. c. 6.* ad quæst. *an patri in omnibus parendum*. Virtus quidem moralis, ut signanter Philosophus *c. 1.* *κατὰ τὴν μὲν εὐσίαν καὶ τὸν λόγον τὸν τί ἦν εἶναι λέγοντα μεσότης εἶναι ἢ ἀρετὴ. κατὰ καὶ τὸ ἀριστον καὶ τὸ εὐ ἀκρότης*. Tale quid sinceratio non est, cum, ut *c. 2.* visum, a bonitate morali, uti a malitia præscindat. Indifferens ergo. Ac prout exercetur, demum recta vel perversa, meriti aut demeriti capax evadit.

§. 2. Nec vero audimus objicientem, quod sinceratio incedat per ignes suppositos cineri doloso. Quin contra affirmamus *II. sincerationem sua natura nescire dolos*. Hoc e *doli* ad ipsam collatione patet. Quid nunc dolus? Dictu non facile inter

ter tot magnorum discrimina; ad 1. Thom. 22. q. 55. nec minus postea Grotianorum ad de J. B. & P. l. 3. c. 11. Interpp. dissensionibus, & quanto conatu adversus Augustini lib. de mendac. plurimi certent. Exsequi singula utile ad praesens, sed vastius angustiis circumjectis negotium est. Breviter ac pro nostra ὑπολήψει. Dolus est actus solertiae. Solertiae natura, discrimen a prudentia, & moralis bonitas Aristoteli *Eth. 6. c. 13.* egregie describitur, cujus haec sunt verba: ἔστι δὴ τις δύναμις, ἣν καλοῦσι δεινότητα, αὐτὴ δὲ ἐστὶ τοιαύτη, ὡς ἐπὶ πρὸς τὸν ὑποτιθέμενον σκοπὸν συντείνοντα δύνασθαι τὰ ὑποτιθέμενα πράττειν καὶ τυγχάνειν αὐτῶν. ἂν μὲν ἂν ὁ σκόπος ἢ καλὸς, ἐπαινετὴ ἐστὶν, ἂν δὲ φαῦλος, πανουργία. Διὸ καὶ τὰς Φρονίμους, δεινὰς καὶ ἐπανέργους φασὶν εἶναι. ἐστὶ δὲ ἡ Φρόνησις, ἢ ἡ δύναμις ἀλλ' ὅτι ἀνευ τῆς δυνάμεως τῆς αὐτῆς ἢ δὲ ἐξὶς τῶ ὁμῶν τῆς γίνεται τῆς ψυχῆς ὅτι ἀνευ ἀρετῆς: Verborum istorum paraphrastem Eustratium commodum inducemus l. 6. comment. c. 12. n. 26. *Esse vim quandam, inquit, quam δεινότητα, id est, calliditatem appellant, quam etiam definiunt esse facultatem asserentes eorum, qua ad scopum conducunt, inventricem. Unusquisque enim cum operari vult scopum quendam ac finem actionis sibi proponit, ut facultate quadam ipsi opus sit atque aptitudine, qua & agere & assequi ea possit, qua ad scopum ipsum finem tendunt. At haec facultas, naturalisque aptitudo ad recte agendum satis sola non est: non enim qui hac fuerint praediti, prohi etiam continuo sunt, sed mali esse etiam possunt. Idcirco ut actiones bonae evadant, additamento atque eo quidem non paucio opus est: id autem est, ut propositus finis bonus sit. Ita siquidem fiet, ut facultas quoque haec laudabilis efficiatur. Nam si pravum sit propositum, versutia appellatur. Callidos quidem, id est δεινὰς, eos qui prudentes sunt, vocamus, dum calliditatis nomine, qua naturalis quaedam habilitas est, atque aptitudo, pro prudentia utimur: quippe cum ea vis habitui atque operationi prudentiae necessario adsit: ut prudentem esse callidum, verum omnino sit. At cum prudentem versutum dicimus, nomine ad pejo-*

pejorem finem deducendis calliditatis abutimur. *Quamquam inest quoque hic ingenii in prospiciendo & promittitudinis similitudo quadam quatenus omnia, quæ ad finem propositum spectant, apte reperiuntur. Unde etiam Homericum Ulyssæm callidum vocamus, qui prudens erat, apteque excogitabat quæ ad honestum finem tendebant: & Periclem Thucydides talem quendam esse, inquit, qui ex propria ingenii solertia, licet neque prius, neque post quippiam cognovisset quæ ad propositum finem essent utilia prospiciebat: & tum presentia brevi consultatione rectissime dignoscebat, tum futura in longissimum tempus optime conjiciebat. Calliditas enim a prudentia in eo differt, quod ipsa eorum, quæ ad finem absolute aliquem spectant & conducunt, inventrix est. Prudentia vero ea providet, quæ ad rectum & honestum finem tendunt. Calliditas item vis quædam est atque aptitudo a natura in rationali anima nostra parte insita: prudentia habitus est, qui ex longo rerum usu longaque experientia comparatur, indigetque calliditate, quam superveniens excolat ac perficiat: quo fiat, ut bono semper sine proposito, quæque ad ipsum tendunt, apte cogitatis, potiri voto felicissime possit.*

§. 3. Thomas quidem *c. l.* astutiam, quam vocat, ac dolum prudentiæ carnis subjicit, ac istam *art. 3.* dicit peccatum, quo quis non veris vocibus sed falsis & simulatis utitur ad finem sive bonum sive malum consequendum. Dolum vero *art. 4.* executionem talis astutis. Sed utrumque de *πᾶσις* solum Aristotelis vocata ejusque actu verum est. Porro Grotius *c. 1.* non crude loquitur, cum dolum in genere malorum semper esse negat. Unde Molina *de J. & J. T. 2. tr. 2. d. 293. n. 1.* bene dicit: *Dolum esse executionem solertiæ s. astutis, dicendo, faciendo, aut omitiendo aliquid, quod recte aut non recte, alius decipiatur in aliquo, sive in damnum id sit illius, sive non.* Cui Nobiliss. Dn. Struv. *Syntagm. J. C. Exerc. IIX. tb. 23.* merito concinit. Quibus positis liquet, sincerationem de se nescire

scire dolos. Nec enim rationes formales utrinque sese attingunt: Sed & realiter a se invicem discerni possunt. Quin imo si dolus in factis simulatione, in dictis mendacio contineretur, uti vulgo traditur, nil horum ibi ex natura rei deprehendi verum est.

§. 4. Forte tamen urgebitur: raro sincerationem non figmentis talibus obnubi. Sed nec vero id congruit, ac si in humana sinceratione alicubi accidat, sincerationi in genere spectata nullum inde vitium. Quin dicere licebit III. *Et hanc cum dolo posse intaminatam consistere.* Dolum enim ἐκ τῶν μέσων esse dicta §. *preced.* probant. Tu tamen nec mendacio, nec simulationi honesti ullam speciem relinquis. Uti Grotio ea, quæ producit, simulationis præsertim exempla extortum it. Dn. Ziegler. & Dn. Osiander *in Comment.* Mendacii quoque foedum ac συναληθευμένον μετὰ Φαυλότητος nomen esse contenditur a plurimis.

§. 5. In hoc discrimine prima est nominum acceptio. Sane si mendacium est *dolus noxius in verbis falsis* ut ὁ δόξα *disp. de Mendacio Cl. Bacleri Dissert. Grotian. annexa* persequitur, ac τῶ Noxii additamento ab reliquis in fine & objecto bono orationis ludibriis segregatur, vero non absimilis est opinio: tales orationes non protinus vitium trahere. Ad quod supponitur in malis non haberi, quod quis citra injuriam patitur amissione alicujus boni, quo præter fas abundat. Bonum tale est commercium animi per verba utrinque nota. Nunc aliquem lædi licite per facta, illicite vero lædi verbis, absone dicitur. Si enim id veniæ ac juris non inest in verbis, eis adversus hostem uti contra morem; quanto minus tale quid factis in hostes nostris inesse concedetur. At his eam licentiam tribui certum est, ex mutuo hic disceptantium consensu de strategematis. Ergo nec verborum jura arctius cogi posse affirmabitur. Et vere Poëta:

D

Dolus

*Dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

Signa enim sunt animorum morus corporis omnes, ac mentiri non minus gestu, quarum ore dicimur ipsi Thomæ, qui 22. qv. 110. simulationem mendacio tanquam superiori subjicit.

§. 6. Unde (i.) sequi dicas, quod Thomas & alii affectationem mendacii enunciatione falsa cum intentione fallendi designatam non commode peccatis accenseant. Quando sc. & signorum animi utile tertio exercitium alicubi denegari & in contrarium flecti potest, ac solertia nostra alia ratione non procedit nisi in signis talibus caute adhibitis in re presenti. Cum ea sint organa, usu sui nec ultra homini æstimanda: Usus vero hunc moraliter spectatum ultra non porrigi quoad tertium, quicum nobis res est, quam ne eorum in versione bono publico, juri alterius & honesti regulis quicquam decedat. Cui de instrumenti ratione argumento, post Theologorum & Philosophorum autoritates, quibus contrariam sententiam se oppressisse dicit Cl. Dürrius in *Philos. Morali* l. 1. f. 2. c. 9. n. 8. tantum tribuit, ut *eo una debellari posse* existimet; ac §. 9. inferat: *peccare eum & criminis reatu sese obstringere, qui verum imprudentius & ex zelo sed non secundum scientiam profert & non potius falsum substituit, ubi scil. salutis publicæ aut honestatis ratio id efflagitat.* Unde §. seqq. falsiloquia jacta ac seria plura tuetur; id demum mendacium turpe existimandum §. 17. pronuncians, *quod ab animi sive malitia, sive vanitate & damnum s. publicum s. privatum dirigitur.* Quo pertinere perfidiam, pejurium & horum progenies.

§. 7. Quæ sententia, si quam speciosa, tam & vera est, tuto asseruimus: *sincerationi licita cum dolo bene convenire.* Cum enim permittitur falsiloquium quodvis extra casus exceptos adversus hostem v. g. quidni & animi serietatem speciose profiteri aliquando, nihilominus aliud corde clausum cohibere li-

cue-

uerit. Si contra quis vertat exempla & profana etiam integrorum gentium candorem religiosius servantium, etiam ubi non teneri viderentur, siue dicta fidem istam perurgentia, cum Grotio *c. l. §. c. 1. §. 20.* responderi poterit: *id non accidere ob iniustitia opinionem, sed ob eximiam quandam animi celsitudinem, interdum & ob virium fiduciam.* Uti quoad priorem causam cum Pythagora censendum, *proxime ad Deum accedi vera semper loquendo & bene aliis faciendo.* Christianis vero *eximiam simplicitatem præcipi, interdici vaniloquentiam adeo ut ultra Lucilianum: Meum homini amico ac familiari non est mentiri, etiam inimico atque ignoto existimet non esse mentiri suum, nec aliquando committat, ut lingua interpres animi a sensu & cogitatione discordet.* Lactant. *de Ver. Cultu l. 6. c. 18.* Quæ responsio eodem fere redit, quod Grot. *l. 1. c. 2.* de jure bellandi Christianorum *n. 6.* reposuit: ultra, quam jure naturali quid licet, Christianos obligari & *n. 9.* consilia divina accepta pro præceptis ac vitam sublimiorem eam, non rationis sibi relictæ dictamini solum consonam esse. Sed isti sententiæ annotatores acriter obviant, adeo ut pl. Rever. Dn. Osiander *observ. I. in ea thesi (sc. VI.) nihil sani imo talia occurrere ajat, quæ ipsam orthodoxiam maxime concutiunt.* Qui perinde invehitur in Grotianam *l. 3. c. 1.* pro mendacii distinctione & usu opinionem doli boni Biblica exempla *observ. ad tb. 6. 7. 8.* uti mendacii ullius patrocinia, per *observationes sequentes omnes,* alio flectere annisus, quod ad *tb. 10.* cum Scoto, Thoma, Bonaventura & Augustino, omne mendacium esse peccaminosum & illicitum, statui debeat. Quæ fuse tractata quantum priori sententiæ adversentur in propatulo est, ac dignissima altiori veritatis utrinque pendulæ indagine, si tam nostro instituto, quam temporis abitum imperanti, nunc obsecundare liceret.

§. 8. De simulatione porro quam Thomas *q. 111. mendacium*

D 2

ciura

ciunt vocat, quo aliud factum s. habitu externo indicatur & aliud s. potius contrarium in abditiis animi recessibus occultatur, eadem cum præmissa Thomæ ac ejus fautorum conclusio *art. 1.* est: simulationem omnem esse peccatum, cum sit mendacium in exteriorum factorum signis consistens. *Qui Resp. ad 1.* si quæ fictiones licitæ occurrant, cum Augustino statuit: *cas tum ref rri ad aliquam significationem, nec esse mendacium, sed aliquam figuram veritatis.* Quo accepto casura sit oppido opinio: Sincerationem cum hac doli specie posse consistere. Quamvis Grotius *Cicer. Off. 3.* pronunciatum: *ex omni vita simulationem dissimulationemque tollendam,* pro nimis crudo habeat, provocans ad ipsum Augustinum qui, *1. contr. mendac. c. 10.,* prudenter occultari veritatem sub aliqua dissimulatione licere, asserat. Verum, & aliam dissimulantis conditionem esse a simulante, perspicuum est, ut illa dolum non necessario contineat, eoque nude spectata excusabilior videri possit altera: & hæc ipsa, quatenus est solers consilium, quod salva gloria Dei & jure tertii erga aliquem exercetur indifferens est, ac licite fit, ut Dn. Ziegler. *art. §. 7.* Grot. existimat. Quo acceptato valebit laudatus ante doli utriusque cum sinceratione coalitus. Vid. Meisner. *part. 1. philos. sobr. f. 2. c. 2. quest. 6. pag. 501. seqq.*

## CAP. V.

*Abusum rejicit.*

## §. 1.

**E**St omnino modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Hos quam vellemus ab omnibus & ubique immotos relinqui, dum sanctissimum vitæ palladium, animi nempe sinceritatem, omni arte & impetu profanatum eunt. Nam ut (1.) mores corruptæ humanitatis in hac scena exploremus, sunt 1. qui aliis talium maxime



xime in fontibus tantum dedecus imputant ac suum ab iis præsidium sperant. Sic Deo tribuitur, non autem eo modo, quo fita quibusdam, ipsum in verbo amorem hominum universalem profiteri, sed in corde diversum sentire; quod Sanctitati Divinæ adversatur. Vid. Theologi, & imprimis Meisnerus *dec. 2. anthrop. l. 12. §. 33.* 2. Sunt qui suo flagitio an errore ipsi tantopere dementantur. Hi enim cum a primo nativitatis momento erroribus & peccatis sint polluti & magis ad falsitatem, quam veritatem propensi videantur, decentem & justam in verbis & mente harmoniam vix præ se ferunt. Hinc Ovid. *l. 2. de Ponto:*

*Candor in hoc ævo res inter mortua pæne est.*

Et Virgil. *l. 4. Æneid.*

*Nusquam tuta fides. - - - -*

Multi etiam, ut cum Juvenali *Sat. 2.* loquamur:

*- Curios simulant & Bacchanalia vivunt.*

Quanto autem deterius habetur vitium, tanto magis etiam justitiæ, quæ virtutum omnium regina dici solet, maxime adversatur. Unde Cic. *l. 1. off. c. 13.* Totius, inquit, *injustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur.* Quin & ipsi infantes ab hac sinceratione non immunes censentur, cum præprimis in delictis commissis ea erga parentes uti norint. Sæpe enim fit, ut, ne ob delictum severe castigentur, illud non tantum verbis, verum etiam fronte & vultu, gestibus item excusare & palliare nitantur.

§ 2. Si res, in quibus usu venit, requirimus ea totiplex est, quot ejus species *c. 2. §. 4. f.* indicavimus, sacra scilicet & profana, publica & privata, nostra & aliena, ludicra & seria. Et quidem quod sacra attinet, sincerator in rebus religionis ad confessionem & veritatis Catholicæ fidem pertinentibus simu-



lare, prout animus fert, aut dissimulare, asserere, inficiari solet. Cum enim Religionem pro vana ac superstitiosa hominum persuasionem habeat, perinde esse existimat, cui se religioni addicat, seque nullis vult astrictum legibus, nulli religioni, cum omnibus sibi conversandum esse, indeque conducibilibus esse existimat, si pro temporis locique ratione aliud atque aliud fateatur & diffiteatur religionis exercitium, cum maxime intersit intima cordis penetralia, in occulto habere. More igitur amphibiorum omnium religionum, imo omnium horarum homo audit. Et quod de Parthis testatur Alex. ab Alex. l. 5. c. 10. quod nulla sit illis fides, & utilitas semper illis fide sanctior habeatur, idem de sinceratore hoc dici meretur. A quibus castris sinceratoris haud longe abeunt, qui erga A. C. socios fraternitatem tam egregie simulare norunt, prætendentes, se unam cum illis fovere religionem & in rebus fidei ab eis plane non dissentire, ideoque pro fratribus esse habendos; nihilo tamen minus ne latum pilum in suis opinionibus deserere volunt, ut concordia coalescat. *Aliud ergo, ut Sallustii verbis utar, lingua promptum habent, aliud pectore clausum gerunt.*

§. 3. E *profanis* ac primo *civilibus* sinceratori commune est consilia prava celare & suum prurimum non nisi arcanis & in vulgus incognitis modis expedire, utque id præstet, summa vi contendit. Fœdera quoque & contractus ea, qua par est, sanctimonia raro servat, eademque violans non erubescit de sua fide impudenter gloriari. Leges quoque civitatis tantum abest eum semper observare, ut & frequenter eas mutare & pro aliis abrogatis novas instituere ausit. *Privatorum* quoque civium non bona tantum, sed & vitam exigit. Ipse insuper ut *Judex*, ex monito Alphonfi R. curam ingressurus ante ædem Jovis Positorii affectum omnem & *μεγιστοπονησιαν* ponere deberet, sed is majorem insinceritatis proficua, quam candoris & integritatis ratio.

rationem habens justitiam fervidius deprimit. Nec minorem in juramentis sincerationem eam videre licet. Sæpius enim verba adhibet, quæ ambigui sensus sunt, ut eo ipso mentem suam, apud quos juramentum deponit, celare possit & alio sensu accipiantur verba quam ipse acceperit. Valet igitur hic impia illa Priscillianistarum vox:

*Jura, perjura, secretum prodere noli.*

In contractibus quoque non sine machinationibus dolosis procedit, ut vix ulla conventio tam caute iniri ac communiri legibus possit, quin iste rimam elabendi reservet.

§. 4. Sequuntur negocia *publica & privata*, in quibus pariter ea ars exercetur. Ut enim ad effectum suorum consiliorum veniat, multa simulat, dissimulat. Nulla enim consilia, nisi sinceratione & occultatione secunda esse scit, illud Biantis Prienæi observans: *Quæ facturus es, nemini dixeris.* Multa etiam sub libertatis specie fieri curat, cum tamen nihil aliud sint, quam simulacra & libertatis umbra. Paupertate vero nihil durius, nihil contemptius esse, de quo Juvenal. *Sat. 5.*

*Nil habet infelix paupertas durius in se,  
Quam quod ridiculos homines facit.*

Et Horatius. *l. 2. Sat. 5.*

*Et genus & virtus nisi cura re vilior alga est.*

Dies ergo noctesque sedulo in animo volvit revolvitque, quo dolo, qua arte divitias augere queat, ad instar Muciani, de quo apud *Tac. hist. 84. num. 2.* quod non jus aut verum in cognitionibus, sed solum opum magnitudinem spectaverit, passim delationes, & locupletissimus quisque in prædam correpti. Sicut enim umbra plerumque major est, quam corpus, quod refert; ita virtute quidem libertas promi deberet, sed ars prævalet, eaque luditur. Alij, secundum Justinum, nomen Regis, alij imperium tenent. De quo etiam Plinius: *Nomen, ait, plurimum*

rimum refert, quid esse Tribunatum putes, inanem umbram & sine honore nomen, an potestatem sacrosanctam? &c. In doctrina & re literaria nonne plerique malunt videri quam esse. Et solidam atque severam discendi rationem quotusquisque est, qui amplectitur? vid. Arn. Clap. l. 6. de simulacris imperii c. 1. 2. 3. seqq. Nec deest quoque in negotiis privatis ea sincerationis labes. Hinc Itali *artem simulandi* ac dissimulandi adeo ampliant, ut bene vivere neminem, nisi bene simulantem ac dissimulantem, adagii loco dixerint. Imo sincerator in vita communi illud Ovveni loco præcepti habet:

*Dissimula, simula, quoties occasio poscit,*

*Moribus ut morem temporibusque geras.*

§. 5. Circa propria & aliena quoque sincerator vapidam gestat sub pectore vulpem. Tantam enim promovendæ utilitatis propriæ curam suscipit, ut perinde divitias ac gloriam & auctoritatem concupiscat, secum perpendens, auctoritatem & gratiam esse fluxam, nisi potentia divitiarumque fulcro innitantur. Neque tamen eo progreditur, ut auctoritate susque deque habita divitiis augendis tantum incumbat, sed ut aliorum animos in sese flectat & auctoritatem cum divitiis sororio quasi vinculo conjungat, annititur. Bene enim hac in parte Lauredanus in *sylv. rerum mirab.* Duo hominem magnificavit, habere plurimum auri & plurimum auræ. Hæ sunt duo columnæ Herculeæ in mari mundana felicitatis, ultra quas non potest navis humana progredi. Hi sunt duo poti maxime pallentes in mundo, circa quos vertitur orbis universus. Non sufficit huic navi aurum, quo onusta est, nisi & auram venti habeat una propitiâ. Quod si jam illud obtinuit, conversatione cum aliis utitur, auctoritatem tamen maxime respiciens & nimiam familiaritatem fugiens, memor illius Comici: *Nimia familiaritas parit contemptum.* Cum gravitate & auctoritate humanitatem

tem

tem conjungit, ut aliorum animos benevolentia sua alliciat, non vero ullo modo eos offendat. Licet enim probe sciat, odia vulgi non magni esse aestimanda, cum *equus generosus non curet latratus canum, nec Elephas muscas*, auram tamen popularem captare, non ideo omittit, ne oleum, quod ajunt, camino addere & vulgi odium magis inflammare videatur. Quamvis etiam quandoque servos & alios plebejos homines ad summos honorum gradus efferat, non tamen permittit, ut potentiores ipso evadant & capiti insultent, sed dictatoriam potius potestatem in eos tenere studet.

§. 6. Quod si denique ad *seria & jocum* res redit, caute admodum ac moderate in iis se gerere novit. In seriis rebus singularem severitatem præ se ferre studet, ne auctoritas pessum eat. *Quemadmodum enim in oratione constanti, sic in vita sint omnia apta inter se & convenientia, turpe enim est, valdeque vitiosum in re severa convivio dignum aut delicatum aliquem sermonem inferre*, monet Cic. *l. 1. off.* Quam ob causam etiam de Pythagora referunt, quod severitate sua tantam sibi conciliaverit auctoritatem, ut dicta ejus haberentur pro oraculis & loco rationis acceptarentur: *αὐτοῦ ἔφα.* De Pericle Comicus ait: *Tonabat, fulgurabat, perturbabat omnia.* In jocis etiam movendis moderatum se præbet, eosque pro ratione loci & temporis exercet. *Jocis enim temperatis delectamur, immodicis irascimur*, ait Senec. *c. 16. l. in sap. non cadere injur.* Et Joh. Casa in Galateo suo: *Si argutia tua visu assidentium non fuerint approbata, argutari desine.* De Cic. Quintil. dicit: *mira mihi videtur fuisse in eo urbanitas, unde & hospitem se dicit non multi cibi, sed multi joci.* Socrates etiam dulcis & facetus fuit, festivique sermonis, atque in omni oratione simulator, quem ideo *εἰρωνία* Græci nominaverunt. Cic. *l. 1. off. c. 30.*

§. 7. *Id quod hic larvatus præ se fert, est mens & animus*  
 E  
 ejus

ejus pro se, aut pro alio. Sed pro se id revera facit, ut comodo suo prospiciat. Sic enim Claremontius *l. de conjectandis cujus moribus & latitantibus animi affectibus*. Hominis simulatoris, ait, dicta & facta interpretari debemus ex utilitate ejus, non ex verborum factorumque significatione; & hoc declarat exemplo Tiberii, cui gloria Germanici, quam in bello cum Germanis adeptus erat, quibusque debellandis unius anni spatium ipsi sufficere posset, valde suspecta erat. Ad hanc igitur impediendam multa obtendit, ut a bello ipsum abstraheret, primum monitu quietiorum consiliorum, deinde oblatione consulatus; demum rogando, ut aliquid materia relinqueret ad Imperatoriam lauream Druso. At Germanicus simulationem Tiberii novit; nam ut tradit Tacitus: *Haud contentus est ultra Germanicus; quanquam fingi ea, seque per invidiam parto jam decori abstrahi intelligeret*. Plura videantur apud eundem *l. 9. c. 5*. Pro alio vero sincerator agit ita, ut, si sentiat potestatem alicujus esse magnam, valdeque timeri, semper cum simulatione eum adeat, laudando, honoresque ac reverentiae signa exhibendo. Sic Romani pessimos imperatores, quos maxime formidarent, divinis semper honoribus, quamdiu vixerunt, colere; optimos vero Principes honoribus humanis. Sic Domitiano statuas inter Deorum statuas tanquam Deo posuerunt. Trajano aras inter statuas hominum dicavere. Vid. id. c. 6. l. 9.

§. 8. Unde *indicia* quibus contestatur bonam mentem, sive oratio, sive vultus, sive factum sit, omnia simulationem sapiunt. Utitur in primis artificiosa affectataque significatione affectus. Sic Chremes apud Terentium dicit:

*Vultus quoque hominum fingit scelus.*

Et apud eundem Phormio veterator ille ita loquitur:

*Nunc gestus mihi vultusque capiendus est novus.*

Quan-

Quandoque etiam affectus vultu deprimitur, ne erumpat, veluti de Ulyssse Homerus scribit, ita canens:

- - - - - at Ulysses  
*animo quidem lugentem suam miserabatur uxorem:  
 oculi autem tanquam cornua stabant vel ferrum  
 tacite in palpebris: dolo autem hic lacrymas occultabat.*

*Gestus* etiam non parum faciunt ad sincerationem, ut enim sincerator verba sua alterius animo altius infigat, gestibus utitur, quibus indicat, quid geratur, quidve velit, corpus & habitum, quem in pronunciando aut dicendo seruet, componit & format. Maximam autem vim *vocibus* inesse studet sincerator. Novit enim, quod, si recte usurpetur, fiat, ut quandoque dicta falsa pro veris admittantur. Unde penes Comicum Geta dicit: *Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.* Tullius quoque duobus lib. 1. *Offic.* prioribus allatis magnam quidem, sed majorem orationi vim tribuit, inquit: *Nimis multis simulationum involucris tegitur & quasi velis quibusdam obtenditur frons; oculi, vultus, per sepe mentiuntur: oratio vero sapissime. Nulla est etiam evidentior animi declaratio, abditarumque in eo passionum ac rerum, quam ipsa oratio nostra.* Hinc Aristoteles dicit: *Voces sunt earum, que in animo, passionum nota.* Hominem igitur, quantus quantus est in loquela qs. in speculo contueri licet. Sæpe tamen fallax quoque lingua speculum est, tum sc. ubi aliorum mores quasi repercutit, proprios vero occultat. Quinimo, ut Besoldus in *axiom. de consil. polit. c. 16.* loquitur: *Sunt ea verba, quibus Sincerator utitur, vitra, que status efficit & frangit. Oblationes servitorum luculentæ sunt seculi presentis moneta currens: folia fructuum loco arbores ferunt: homines verbis blandis, non bonis operibus abundant.* Denique ad quorumvis nutum Sincerator oratione sua se componere novit, cum eruditus erudito, cum simplicibus agens, simplici sermone utitur. Si cum su-



perbis converfatur, morem iis facile gerit, quippe quibus nihil gratius, quam ubi alios fibi cedere, quacunq; etiam ratione illud fiat, viderint. Si cum *contentiofis* egerit ad horum nutum fele fermone fuo accommodat. Cum enim illi nihil magis intendant, quam ut victæ eisdem dentur manus, etiamfi fanum ac iuftum iudicium perdant, lingua morem iis hac in parte gerit, ut interim veritas prolata aliis detegatur. Si cum *adulatoribus* fibi negotium intercedit, palpum iis iterum fermone fuo obducit, eosque quali aliud agendo præter omnem fpem dolofe fatis circumvenit. Et ut rem paucis complectar, fummos atque pauperes eadem facilitate fert, hilarique fronte excipit, ad eorum defideria attente & diligenter animadvertens: in respondendo benevolus, in officiorum pollicitatione gravis, in iis denegandis minime fuperciliofus.

§. 9. Cæterum, cum Sincerator in omnibus *finem* fibi proponere ftudeat, hic quoque considerandus venit. *Scire* enim, ait Seneca, *debet, quid petat ille, qui fagittam vult mittere & tunc dirigere & moderari manu telum.* Finis autem *verus* & proprius hujus Sinceratoris eft, ut *proprium commodum* quærat. Huc enim tendunt omnia confilia, omnes doli, quibus alios circumvenit. Sicut jam ex vocibus præfentis & fcriptura abfentis venamur finem, ob quem quisque operetur; ita Sincerator licet non explicite & difertis verbis finem operationis fuæ proteftetur, implicite tamen & quali fuppreffa voce exprimit, ob quem finem operetur, ut fc. nihil aliud inde confequatur, quam proprium commodum, ut ex fupra allatis perfpicere licet.

§. 10. Finis *præfumptus* & *pratenfus*, quem Polybius *ἔργον* vocat, eft, ut aliis confultum velle videatur, cum tamen id minus faciat, fed laureolam in muftaceo quærat.

§. 11. *Effectus per fe* & totalis eft circumfcriptio termini. *Effectus vero per accidens* & partialis eft, ut in omnibus actionibus



nibus aliorum animos suspensos teneat & ad proprium nutum ingenia flectat. Ut taceam illud ἀρέσκειν, quod sub hoc velamento attendit, quippe non minus benevole auscultando, quam placide loquendo aliorum gratiam & benevolentiam sibi comparare gestit.

§. 12. De hoc monstrorum genere II. in universum statuendum videtur: *Dolum non permitti, cum vel persona sincerantis, vel sincerati, vel rei proposita, vel loci ac temporis, vel plurimum an omnium horum ratio exigit, ne quid a mente discors, ore, gestu aut opere praeferatur.* Hoc semel comperto in aliqua animi nostri declaratione, sponte sequi videbitur, non interfore, cum *hoste an amico* res sit. Eoque minus *inæqualitas* amicitiae, qualis inter inferiores & superiores intercedit, aut *novitas*; nendum *peregrinitas*, aut *fortuna morumque disparitas* legem mutat. Pessimo etiam homini tali statu sincere de sinceritate profitebitur. Nec cum Crete ubique cretifandum ducemus, cum lupis ululandum. Nec vero *religio* contestantium adversaria variat hilum, ac si contrariorum numinum reverentia contrarium fidei dandæ auspiciam ostendat. Illa quorundam ex hæreseos & infidelitatis, quam vocant, odio, profecta decipiendi ratio, qua Romani Papæ & eorum Scriniarii Jesuitæ, etiam contra pacta jurata niti quem posse censuerunt, vix ulli etiam infano ac scelerato satis probabitur. Quod cum alii, exagitationis ipsorum e tali Ethica facinoribus, abunde præstiterunt, & paria imputaturo promptum sit, ni & res ipsa & prædictæ jam brevitas modulis nos averteret.

§. 13. Collectu inde opportunum sit, quæ totiplici mundi nequitiae censura debeat, cum crebra per omnem sexum, ætatem, fortunam, casus plurimorum sincerationis ludibria deprehenduntur. Qualia sunt in re Theologica, in Politica imperii, fori, vitæ, in Medicorum σοχασμῶ, in Astrologia, Historia, pietatis simulacris, Blanditiis, Complementis Gal-

E ;

licis,

licis, Promissis, Defensione nostri & aliorum, Civilitate, Jociis, Inquisitione & aliis innumeris, quorum per saturam aliquot species congeffit Dn. Zahnius *oper. de Mendaciis*, digno, quod ad ordinem commodum redactum altius pensuetur & expoliatur clarius.

§. 14. E multa copia excerpemus, quod de tali sincerationis abusu quæritur, an consistere possit in religionis negotio. Ubi negativa præferenda videtur. Pugnat enim id (1.) cum expresso Dei verbo, serio jubente, *1. Petr. 3. v. 15. ut Dominum Deum sanctificemus in cordibus nostris; parati autem simus semper ad respondendum cuilibet petenti, ut loquamur de ea, quæ in nobis est, spe.* Ita tamen, secundum monitum Augustini, *debemus esse veraces, ut simul simus prudentes.* Non enim tenetur quivis in persecutionibus caput suum ultro objicere & non rogatus etiam ad magistratum tyrannicum accurrere & coram eo se Christianum profiteri. Id quod uberius ex Theologia possit deduci, nisi falcem in alienam messem mittere videremur. Vid. hac de re Theologi passim. Deinde apud Romanos cæteroquin ethnicos magna fuit religionis reverentia, ut etiam pro tempore & libidine non ausi fuerint eam interpretari, multo minus igitur dissimulare. Hinc Val. Max. *omnia, inquit, post religionem ponenda semper duxerunt, etiam in quibus summa majestatis decus conspici voluerunt.* Vid. *l. 1. cap. 1. & 2.* pudor igitur est nostræ gentis, religionem pro libidine uniuscujusque in hanc vel illam sententiam torquere, adeoque susque deque habere regni causa. Equidem *in rebus civilibus licere promontorium flectere non neget quisquam. An vero hoc liceat promiscue in causis religionis ac fidei nostræ, mihi, ut verum fatear, neque dum exploratum est: Cum præsertim magnorum principum ea sit conditio, ut exemplo suo alios trahant,* bene ait Clapmarius *l. 4. de arcanis Rerumpub. c. 4.* Nec desunt testimonia accuratiorum politicorum falsam sincerationem.

ratio.

rationem in religione improbantia. Ita enim Preyelius de vi-  
ro publ. Dissimulare religionem est simulare eam, cum nullam  
teneas. Subjungit porro: Ita dissimulatio tanto magis in prin-  
cipe (sinceratoribus) reprehenditur; quod ipse exemplar &  
prototypon omnium virtutis & integritatis sit; adeo, ut nihil mi-  
nus, quam hypocrisis ipsi conveniat, cum hominibus exosa tum  
Deo abominata. Merito igitur laudandus Sereniff. Saxonix  
Electo Johannes, qui, cum ditionis suæ pro more imperii in-  
augurationem peteret, eam autem Cæsar denegaret, nisi prius  
cum Ecclesia Romana in gratiam rediret; in cæteris quidem,  
quæ sui sint officii morem gesturum esse Cæsari respondit: in iis  
autem rebus, quæ ad conscientiam & Dei verbum pertineant, se  
nihil dissimulare posse. Vid. Sleid. l. 7. comm. Ann. 30.

§. 15. An vero res aliter comparata est in civilibus, cum  
absque sinceratione Respublica vix institui aut teneri possit? Ita  
Plato imperium habentibus concedit falsum dicere; habet e-  
nim jus supereminens in omnia jura parentium, eoque jure bo-  
no ipsius sive publico sive proprio uti potest. Et qui non sit li-  
beralis animi consilia quædam occultare, cum ipsemet Deus  
nonnisi sensim suæ de salute humani generis arcana decreta pa-  
tescerit & æternæ vitæ *μυστήρια* etiamnum abscondat? Omnia  
sane sine discrimine omnibus prodere, non liberalitas fuerit,  
sed quædam prodigalitas, cum non ab omnibus omnia capian-  
tur, & summe noxium, ut nunc quidem est humanum inge-  
nium. Vacare etiam culpa *σοφισματα* dicuntur & simulacra im-  
perii; modo utatur eis princeps ad continendum populum in  
officio illo, in quo optimo jure debeat contineri. Neque enim  
his ipsis aliquam populo injuriam fieri, cum in emolumentum  
ejus cedant. Contractus quoque & foedera justissimis de cau-  
sis rescindi interdum posse, ut & leges, quæ nonnisi ex constitu-  
to summæ potestatis valent in qualibet Republ. si ita exigat usus  
publicus, mutari. Vid. Cl. Conring. in *de Civili prud. c. 2. p.*  
*19. 20. 21.*

§. 16.

§ 16. Verum de his omnibus & quæ plura induci possunt *cap. 4.* non nimis ardua est iudicandi ratio. Singula quidem pertractaturo integrum non est. In discursu ea pars tangi discurtque potest. Cui fortuna annectimus limites alios aliorum, quibus tamen sinceratio licita, imo necessaria habetur. (1.) quoties sermo *ad eum* dirigitur, *qui non decipitur*, nec per pro-lata verba falsa incommodum accipit, sed potius gratias agit, quod propter illud dictum falsum ad eum potius salus quædam & commoditas redierit. (2.) quoties sive joco sive serio vero dissona proferimus vel *apud infantes*, vel *apud homines mente captos*. (3.) quoties *propter conservationem innocentis* falsum latroni aut aggressori dicitur. (4.) quoties *oblectationis gratia*, aut ad excitandum desiderium plenioris informationis aut ad periclitandas excutiendasve vires ingenii, argutiæ & honesta joca proferuntur a vero quidem paululum abiudentia, revera autem sensum abditum & probum habentia. Vid. Joh. Conr. Dürr. *Instit. Eth. c. 9. part. III. sect. II.* Grotius de *J. B. & P. l. 3. c. 1.* Clapmar. *l. 1. de jure imperii c. 5. p. 16. 17.* *Sapientia*, ait Lipsius, *pars est leviter desipere & paulum extra viam rectam ire ad evitandum aliquem violentum occursum. Videsne, ut nauta vela sinuent & obliquent, & teneant nihilominus suum portum? Imitare pietas tibi interna & vera proposita sit: In externis personam interdum sume aut pone pro re aut pro xpo. Is & illi pro suo instituto & animo memores modo, quantum sibi humana fragilitas indulgeat & quæ impetu paulum patulas ad deteriora vias occupet; Quanto vero optabilius erit, eam sinceritatis ideam in humanis pectoribus ac studiis spectari, quam Claudianus nobis expressit:*

*Nunquam falsa loqui, nunquam promissa morari,  
Invisos odisse palam, non virus in alio  
Condere, non letam speciem prætere fraudi,  
Sed certum mentique parem componere vultum.*

Coro-

\* \* \* \* \*

Coronidis loco addi possunt notæ quædam  
aphorismis expresse.

1) Multi principes Domini appellationem  
ut maledictum & opprobrium semper exhor-  
ruerant & velut personati sub schemate illo  
Regis & Monarchæ personam egerunt, exem-  
plo Augusti, Tiberii, Cromvelli: & hæc ars  
vocatur hypocrisis politica.

2) Ut strategemata in bello ad victoriam  
Ducis: ita sophismata in Republ. ad quietem  
civitatis iuste ac legitime exerceri possunt.  
Vid. Boterus *l. 1. c. 6.*

3) Insignis cujusdam politici sed Atheisti-  
ci principium ac maxima fuit: Taceat in po-  
litis Deus.

4) Tyrannus, qualis ab Aristotele in Pol.  
V. describitur, non datur in rerum natura.  
Uti nec ea *ἐν δαίμονια*, quam Eth. Nicom. deli-  
neat. Artificum nempe est ideam rei vel imi-  
tandæ vel fugiendæ, quantum licet, exactam  
proponere, ad quam quisque sese exigere  
possit.

5) Pluralitas religionum absolute loquen-  
do reipubl. beatitudini non repugnat. Sed ma-  
num de tabula, concludentes hac *δοξολογία*:

*Gloria sit Patri! sit Nato gloria! Sancto  
Gloria Spiritui! Triadi sit gloria Sanctæ!*

**C**andor in hoc ævo res inter mortua pene est.  
Hocce frequens dictum tempora nostra notat.  
Arguis hinc merito sinceras nomine fraudes,  
Teutonicamque fidem Te celebrare probas.

Præstantissimo Dn. Respondenti L. M. Q.  
applaudebat

SEBASTIANVS NIEMANN,  
D. P. P. & Superint.

---

**M**ens sincera tua est, BRANDI carissime, non te  
Improba vis animi deterioris agit.  
Hinc Sincerantis partes dignoscere promptum  
Tam tibi, quam vitæ nomina ferre probæ.  
His agitare animis, & quem mortalia laudant  
Pectora, candorem pectore & ore doce.

Optimo & bonorum omnium favore dignissimo  
Dn. Brandio, suo & Auditori diligentissimo,  
& Amico charissimo, propitios viales precat-  
us, cum fide constantis ad officia animi Imq.  
scribebat

PHILIPPVS MÜLLERVS, P. P.



Gloria Spiritus! Trache in gloria Sande!  
Gloria in Excelsis deo!

EO - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle  
003 096 899  
ULB Sachsen-Anhalt  
Ausgeschl. d. d.  
Datum: 2008




Sb.

D.

Reh. ✓

4/1  
Juli







m. 7

2. D.

CROCO  
LACRY

SIV

SINCER

OCCASIONE IEREM.

Ode

Von denen Croc

IN ILLVSTR

PRAE

DN. PHILIPPO

ELOQVENTIAE ET PO

PUBLICO CE


ADVMBRATVS ET P

NICOLA O

SVNDERBVRG



IENAE, LITTERIS RITTEK



B.I.C

Farbkarte #13

